



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in judicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

§. 4. De resolutione hujus contractū ex pacto redimendi,  
vel retrovendendi:

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](#)

hentium adjecto , ut res sit inempta , si Emptor ( licet non interpellatus L. 4. §. fin. ff. h. t.) ad diem conventum pecuniam , seu pretium vel non solvat ( L. 2. ff. de L. commissaria ) vel saltē solutionem non offerat , ut dicitur cit. L. 4. sed intellige , si venditor inemptum velit ; quia venditoris causa sic cavetur , ut ibidem dicitur , & clarē habetur L. 3. ff. h. t. debet enim eligere , vel exercere legem commissā , vel repetere pretium ; nec una electione posita licet ei variare , L. 4. §. 2. h. t. ff. nisi gravis ratio , vel aequitas exigat . Hinc pactum illud conditionem includit , sicut additione in diem , non suspensivam , sed resolutivam . Legē commissa ( si venditor non remittat ) tenetur Emptor fructus interim perceptos restituere venditori cum damni dati aëstimatione per L. 4. ff. h. t. si autem Emptor venditori arrham dedit , & tamen legem commitat , etiam arrham amittit , per L. 6. ff. h. t. esto dedisset in partem pretii ; sed tali casu aequum est , ne fructus restituere teneatur , L. 4. §. 1. ff. h. t.

§. 4.

De resolutione hujus contractū  
ex pacto redimendi , vel re-  
trevendendi :

1503 Contraftui emptionis perfecto , & absoluto quandoque solet adjici pāctum , vel in gratiam venditoris , ut Emptor teneatur rem emptam venditori rursum vendere , si depositur acceptum pretium ; vel in gratiam Emptoris , ut possit re habere pretium te empta venditori reddit , vel inter certum tempus , vel indefinite , vel in gratiam utriusque , & hoc pactum vocatur pāctum rcluendi , redimendi , se retrovendendi .

1504 Not. autem 1. quod hoc pactum extendat , ut nova emptione , vel venditione , dominium rei , prima venditione translatum , ab hoc redeat ad priorem dominum ; quod non habet pāctum additionis in diem , vel legis commissorū ; hinc in istis dominium rei reddit ad venditorem sine novare traditio-

ne ; secus in hoc pacto : & ideo istud vere novam venditionem includit , de quo Haunoldus tom. 4. dē Just. tr. 10. à n. 195.

Not. 2. Emptorem non posse obligari , ut rem retrovedant minori pretio , quam quod valet ; quia sic non servaretur aequalitas .

Not. 3. quando pactum retrovendendi adiectum est in gratiam venditoris , emptorem posse pacisci de majori pretio intra latitudinem iusti pretii contento , sibi persolvendo , quam ipse decedit , modo non sit maius , quam res tempore revenditionis valeat ; quia sit servatur aequalitas . Ex hoc sequitur , Emptorem , qui rem emit in dato casu justo pretio infimo , vel medio ; pacisci posse , ut in casu revenditionis sibi persolvatur ex justo pretio sumnum .

Not. 4. Si res ante revenditionem accepit incrementum per alluvionem , hoc juxta communiorē sententiam pertinere ad Revendentem , seu primū Emptorem ; quia incrementum rei per alluvionem pertinet ad dominium rei ; Sed primus Emptor in dato casu est dominus rei ; præsertim , cum ad eum spectare debeat lucrum rei , ad quem spectat ejus damnum ; ergo .

Nec obstat , quod primus Emptor resoluto contractu ex additione in diem , vel lege commissoria , debeat fructus perceptos restituere , ut dictum est ; nam ibi est vera resolutio sine nova emptione , & venditione ; at in casu pacti de retrovendendo secus est , ut notavi supra . Et ideo fructus interim nati , & percepti , absolute pertinent ad primos Emptores sine onere restituendi ; pendentes vero tempore revenditionis dividendi sunt pro rata parte ipsius anni , sic Fachinæus . l. 2. Controvers . c. 5.

Not. 5. Quod , cum jus redimendi possit ad heredes transmitti per L. 2. C. de pactis inter Empt. & venditor. possit etiam alteri cedi ; sic Haunoldus tom. 4. Just. tr. 10. n. 208. in fine q. 10.